Philippus de Alenconio miseratione divina episcopus Ostien(sis) sacrosancte Romane ecclesie cardinalis apostolice sedis legatus. Dilecto nobis in Christo .. abbati monasterii sancti Karoli Pragen(sis) sa[lutem in Domino].
Litterarum sciencia vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos dilectus nobis in Christo Johannes Ysuen scolasticus ecclesie Poznanien(sis) baccallarius in
[decretis] apud nos fidedigno commendatur testimonio nos inducunt ut sibi reddamur ad graciam liberales. Hodie siquidem ad audienciam nostram deducto quod dilectus nobis in Christo Conradus Becz canonicatum [et prebendam]
dicte ecclesie sancti Appolinaris Pragen(sis) et Henricus Coppin altare quoddam situm in parrochiali ecclesia in Schonwald Wratislavien(sis) diocesis que tunc temporis obtinebant ut asserebant desiderantes [ex]
certis causis invicem permutare in manibus reverendi in Christo patris .. archiepiscopi Pragen(sis) aliqua licencia permutandi dicti altaris a reverendo in Christo patre .. episcopo Wratislavien(si) per ipsum Henricum [super hoc]
non obtenta fraudulenter et dolose in preiudicium impetrancium extra Romanam curiam resignarunt cuius huiusmodi resignationis pretextu idem Henricus extitit eosdem canonicatum et prebendam asse[cutus]
ipse in eodem altari tempore resignationum huiusmodi nullum titulum habebat nec prefato Conrado de predicto altari sicut premittitur vacante per eundem episcopum collatum extitit licet eosdem cano[nicatum]
et prebendam dilectus nobis in Christo Johannes Czedlicz detineat indebite occupatos de presenti. Nos attendentes quod veris existentibus supradictis dicta canonicatus et prebenda per resignation[em]
Conradi vacare noscantur ad presens dictusque Henricus in ipsis canonicatu et prebenda nullum ius habuit neque habet licet ipse primo et deinde dictus Johannes eos detinuerint indebite [et]
idem Johannes ipsos adhuc detineat occupatos animoque dictus Henricus ad obtinendum predictos canonicatum et prebendam attentis fraude et dolo huiusmodi cum fraus et dolus nemini patroci[nari debeant]
reddidit se indignum tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis ut vocatis dictis Henrico et Johanne ac aliis qui forent evocandi super premissis inquireres auctoritate nostra diligenci[us veri]
tatem et si per inquisitionem huiusmodi invenires ita esse dictos canonicatum et prebendam ex resignatione ipsius Conradi vacavisse et tunc vacare dictumque Henricum occasione assecutionis huiusmodi at[tentis]
fraude et dolo huiusmodi in ipsis canonicatu et prebenda nullum ius habuisse neque habere auctoritate predicta declarares ac ipsum Johannem a dictis canonicatu et prebenda realiter amoveres prout in
litteris plenius continetur. Ac volentes dicto Johanni Ysuen qui eciam ut asserit magister in artibus existit premissorum meritorum suorum intuitu graciam facere specialem discretioni tue tenore presencium m[andamus]
quatinus si dictos canonicatum et prebendam ex resignatione dicti Conradi vacavisse et adhuc vacare dictumque Henricum in ipsis canonicatu et prebenda nullum ius habuisse neque habere declarare [ac]
Johannem Czedlicz ab ipsis amovere ut prefertur per te contigerit predictos canonicatum et prebendam quorum fructus redditus et proventus octo marcharum argenti secundum communem extim[ationem]
valorem annuum ut ipse Johannes Ysuen asserit non excedunt sic ut premittitur vel alio quovismodo vacent etiam si tanto tempore vacaverint quod eorum collatio iuxta Lateranen(sis) statuta concilii [ad]
sedem apostolicam legitime devoluta dummodo tempore date presencium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum predicto Johanni Ysuen cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pert[inenciis]
suis auctoritate nostra conferre et assignare procures inducens per te vel alium seu alios eundem Johannem Ysuen vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et [prebende]
iuriumque et pertinenciarum predictorum eadem auctoritate et defendens inductum amoto exinde dicto Johanne Czedlicz et quolibet alio illicito detentore ac faciens ipsum Johannem Ysuen vel dictum procurator[em]
eius ad huiusmodi prebendam in eadem ecclesia sancti Appolinaris in canonicum recipi et in fratrem stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis sibi[que de]
canonicatus et prebende fructibus redditibus proventibus iuribus et obvencionibus universis integre responderi contradictores auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam compescendo non
obstantibus statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie sancti Appolinaris contrariis quibuscumque. Aut si dictus Johannes Ysuen prius non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consue[tudini]
bus ipsius ecclesie solitum iuramentum dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud prestet. Seu quod ipse Johannes Ysuen scolas[triam]
Poznanien(sem) et perpetuum beneficium mansionaria nuncupatum in capella beate Marie virginis Wratislavien(sis) ecclesiarum quorum fructus redditus et proventus viginti quatuor marcharum argenti s[ecundum]
communem extimationem valorem annuum ut idem Johannes Ysuen asserit non excedunt noscitur obtinere. Et quod nuper sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Urbanus divina providencia [papa sextus]
Johanni Ysuen de dignitate vel personatu aut officio ecclesie Opulien(sis) dicte diocesis gratiose concessit provideri super quaquidem concessione gracia littere apostolice nondum sunt confecte. Volumus autem idem dictus
[Johannes] primum prefatus Johannes Ysuen huiusmodi concessionis gracie vigore dignitatem vel personatum aut officium fuerit pacifice assecutus predictam scolastriam quam ut prefertur obtinet quamquam ex
[tunc va]care decernimus omnino prout eciam ad id idem Johannes Ysuen se sponte obtulit dimittere teneretur. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam scienter vel igno
ranter contigerit attemptari. Datum Prage VIII kalendas Novembris anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo tercio pontificatus sanctissimi domini nostri Urbani pape VI anno [sexto].

R.
G. [illegible]

382

Novi doctores super novum testamentum

Novi doctores super novum testam[illegible]

& magistri Jo. [illegible]